HERACLITI EPHESII

RELIQUIAE.

138
284.

3 25/52

RECENSUIT

I. BYWATER

COLLEGII EXONIENSIS SOCIUS.

APPENDICIS LOCO ADDITAE SUNT DIOGENIS LAERTII VITA HERACLITI
PARTICULAE HIPPOCRATEI DE DIAETA LIBRI PRIMI
EPISTOLAE HERACLITEAE.

CUM INDICE DUPLICI SCRIPTORUM ET VERBORUM.

№ 24518.

БИБЛIОТЕКА
МОСКОВСКОЙ ДУХОВНОЙ
АКАДЕМIИ.

Oxonii:

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

M DCCC LXXVII.

PRAEFATIO.

Ex quo Schleiermacher primis huius saeculi annis Heraclitea collegit permulti extiterunt qui obiter ea dataque occasione adtigerint: duo autem operam navarunt ut de universo reliquiarum corpore dissererent Ferdinandus Lassallius ac Paulus Schuster, alter litteratus homo et perquam ingeniosus, hic rei philologicae peritior, qui id potissimum egit ut fragmentis ad priscum ordinem coniectura redactis atque unde unde suppletis species conciliaretur Heraclitei libri. Et inter historicos Zeller rationem Heracliti ex fragmentis veterumque testimoniis restitutam docte et diserte exposuit. Sed est mihi praecipue memorandus Iacobus Bernaysius, investigator Heracliteorum interpresque sagacissimus; qui etiam Epistolas Heraclito suppositas recensuit commentarioque exornavit qualem ab uno Bernaysio accipere solemus.

Novam Heracliteorum editionem cum aggredior, et rem et tempora arbitror postulare ut id fere in Heraclito fiat quod iam in Ennio et scenicis Romanis summi viri Vahlenus et Ribbeckius fecerunt. Quorum exemplo hanc libelli mei formam constitui. Primo loco fragmenta posui absque mole disputationum, ordine eo quem ad nexum sententiarum satis respondere credidi—non equidem ignarus de re tam dubia statuisse alios aliter et posse statuere. His subiacent testimonia veterum et quidquid habui quod firmaret infirmaret quomodocumque illustraret fragmentorum fidem. Tertio loco adnotationem criticam dedi quam brevissimam; cuius brevitatis meminerint velim si qui mirabuntur me non omnes omnium opiniones ac suspiciones in notulis commemoravisse [1].

[1] Indicem subicio eorum qui hoc saeculo Heracliteis criticam operam contulerunt; praecipuos tantum memoro: — Th. Bergk, (1) Exercitatt. crit. spec. vi. p. 9 (Ind. lect. hib. Marburg. 1850); (2) ad Aristot. de Mundo (Ind. schol. hib. Hal. 1861); (3) ad Lyric. Graec. p. 792 ed. tert.—I. Bernays, (1) in Heracliteis: partic. i.: Bonn. 1848; (2) Mus. Rhen. N. S. vii. p. 90; (3) Mus. Rhen. N. S. ix. p. 241; (4) Epist. Critica ap. Bunsen. Analect. Ante-Nic. t. 3; (5) Theophrastos über Frömmigkeit p. 190; (6) Die Heraklitischen Briefe: Berol. 1869—C. G. Cobet, (1) Mnemos. t. ix. p. 437; (2) Λογίου Ἑρμοῦ t. i. p. 187; (3) Miscell. Crit. p. 135—Max Heinze, Die Lehre vom

ἡλαΛρρΛρ ΛcΛρρcɜ p eeΛqΞΛρeρ ΞΛ ΛeΛbbΛ

In serie fragmentorum duo nunc demum comparent, XXXIX. dico et CXXX., quorum illud ex Tzetze extraxi[2], hoc ope codicis Vaticani graece primus exhibui: praeterea, si recte se habent quae ad LIV. disputavi, possis iam pro frustulo illo miserrimo integrum aphorismum reponere, quod nos periclitari ipsos lex ac condicio huiusce operis vetabat. Sed ante omnia testimoniis incubui undique conquirendis idque eo pacto ut, sicubi Heraclitea latent sine nomine citata aut respecta apud antiquos, ne hos quidem locos sciens praetermiserim; nam ex his quoque videmus Heracliti sententias quales et quemadmodum olim circumferebantur sive ex ipso libro citatae sive in recente libri memoria. Cuius rei ut exemplum adponam, fr. XCI. unus Stobaeus conservat, non ita locuples auctor ubi de scriptis agitur perantiquis: at noti imitatores Heracliteorum, pseudo-Hippocrates Cleanthes Stoicosque secutus Plutarchus, potissima quaeque in fragmento nostro ita agnoscunt ut fidem Stobaei optimo rei argumento stabiliant. Fragmentum autem illud ex Tzetze modo erutum videmus subinde respexisse iam et pseudo-Hippocratem et pseudo-Heraclitum, longo annorum intervallo eos Graeculo isto priores. Itaque, ne quid deesset, sedulo operam dedi ut, si qua ad Heracliteum expressa exemplar apud scriptores repperi imitationem nostri aut adfectantes aut in eam incidentes, passim ea quoque testimonii causa citarem.

In Appendice fragmentorum primum locum obtinet capitulum Laertianum de vita Heracliti. Quod si adparatu nimio oneravi, non sum inscius, nedum securus, eorum quae de hac re Cobetus in praefatione ad Miscellanea Critica nuper edita verissime monuit. Verum postquam mecum reputaveram Huebnero nullam suppetiisse codicum copiam, carere supellectile critica Cobeti textum, etiam nunc iustam Laertii editionem desiderari, decrevi tandem quae penes me essent omnia expromere: si nihil aliud, habes utique hoc

Logos c. i.: Oldenb. 1872—F. Lassalle, Die Philosophie Herakleitos des Dunklen von Ephesos: Berol. 1858—F. W. A. Mullach, Fragm. Philosophor. Graecor. t. i.: Par. 1860—H. Ritter et L. Preller, Hist. Philosophiae Graeco-Romanae: Hamb. 1838 (ed. quint. Goth. 1875)—F. Schleiermacher, Herakleitos der dunkle, von Ephesos: Opp. Philos. t. ii., et prius in Wolfii et Buttmanni Mus. der Alterthumswiss. t. i.: Berol. 1807—P. Schuster, Heraklit von Ephesus: in Ritschelii Act. soc. phil. Lips. t. iii.: Lips. 1873—G. Teichmüller, Neue Studien zur Gesch. der Begriffe: Goth. 1876—E. Zeller, Die Philosophie der Griechen t. i. p. 566 ed. quart.: Lips. 1877.

[2] Occupavit tamen ex Bachmanni Schol. ad Il. t. i. p. 826 eadem proferre Bergkius: v. Exercitatt. crit. spec. vi. p. 9, quam viri illustrissimi disputationem doleo mihi opere nostro tantum non absoluto primum innotuisse.

ἡλαΛρρΛρ ΛcΛρρcɜ p eeΛqΞΛρeρ ΞΛ ΛeΛbbΛ

Digitized by Google

tanquam specimen qui sint praecipui Vitarum codices[3]. In reliqua Appendice nonnulla dedi quae rationem Heracliteam illustrant, profecta scilicet ab imitatoribus. Ex primo de Diaeta libro Hippocratea excerpsi quot ad mentem Heracliti accedere propius videbantur, ideoque ad fragmenta confirmanda fortasse etiam, si recte utaris, supplenda adhiberi possunt; nam vestigia Heraclitismi hic latere animadvertit iam priore saeculo I. M. Gesner, ac rem mire a Schleiermachero neglectam iterum nostris temporibus eximia qua pollet elegantia et subtilitate demonstravit Bernaysius. Inesse cerno in ista farragine nonnulla quidem aliunde desumpta[4], de summa tamen re non est quod hodie disceptetur. Excipiunt Hippocratea Scythini versus Lucianique parodia: quippe et Scythinus in altero saltem fragmento apertissime Heraclitissat, et Lucianus ioci causa plura disiecti philosophi membra in unum compegit, ex interprete (opinor) cuncta mutuatus, sed tam faceta re ac salsa quis non aegre inter Heraclitea caruerit? De Epistolis post commentationem Bernaysii disserere supervacuum est: sive sunt unius falsarii opus sive plurium (quod mihi nondum liquet), licet in plerisque auctorem deprehendere primi fere post Christum saeculi sophistam, veteris Testamenti non prorsus ignarum, Stoicae ethices adsertorem, cui aditus fuerit vel ad integrum περὶ φύσεως librum vel ad luculenta Heracliteae doctrinae summaria, qualia multa ea aetate extitisse credimus[5]. Qui plura de universa Epistolarum ratione desiderat, adeat Bernaysii editionem.

De fide fragmentorum duplici modo disputatur: nam sunt quae Heraclito alii vindicant abiudicant eadem prorsus alii; sunt autem plures alioqui certae ac testatae admodum reliquiae de quibus disquirere licet utrum vera orationis forma, an veritatis quasi quaedam imago sed immutata et distorta ad nos pervenerit. Quod ad prius genus controversiae adtinet, gravissima oritur dissensionis causa ex nota confusione nominum: Heraclitus enim interdum apud antiquos memoratur ubi contendere possis aut unum ex

[3] Vellem ex codice Burbonico plura potuisse adferre, cui primarium inter codices Laertii locum tribuit Fr. Nietzsche, Beiträge zur Quellenkunde und Kritik des Laertius Diogenes: Basil. 1870.

[4] In iv. quidem cap. Hippocrateorum et Anaxagorea et Empedoclea quaedam insunt; conf. etiam Parmenid. v. 67 ed. Stein.: locos parallelos enumerare supersedeo quia rem fusius nunc tractatam video a Zellero t. i. p. 635 editionis quartae.

[5] De veteribus Heracliti interpretibus v. Diog. Laert. v. 88, vii. 174, vii. 178, ix. 15. Et interpretum vice fungebantur scriptores cum alii tum in primis Stoici, quos Heraclitea passim citare imitarique solitos esse constat.

Digitized by Google

Digitized by Google

recentioribus Ephesii cognominibus esse intellegendum, aut Heraclidem aliudve eiusmodi nomen esse reponendum[6]. Qua de re et per se probabili et diu inter doctos confessa nolo verba facere, et exempla rei quaedam adtuli ad fr. CXXXVIII. : licet tamen paulisper in hoc loco immorari dum ea defendam quae ad fr. CXIX. brevius iusto dixi, scilicet cum Schleiermachero Lassallio Schustero dissentiens de citato apud Eustathium et Schol. Ven. (A) ad Il. xviii. 251 auctore. Etsi non infitias eo potuisse Heraclitum in poetas iniquum iudicem superstitionem exprobrare Homero, res me magis movet ac rei forma ut cum Fabricio (Bibl. Gr. t. i. p. 194 Harl.) et Zellero alium nescio quem existimem a scholiasta indicari. Nam ad Homericum illud de Polydama, Hectoris adeo moribus dissimili, *Ἕκτορι δ' ἦεν ἑταῖρος ἰῇ δ' ἐν νυκτὶ γένοντο*, hanc nobis interpres Venetus excitat argutiolam :—

πῶς ἐν μιᾷ νυκτὶ γενόμενοι τοσοῦτον ἀλλήλων διαφέρουσι τῆς συμπαθείας τῶν οὐρανίων ὁμοίως πρὸς ἀμφοτέρους ἐχούσης; ἔστιν οὖν διαφορὰ τοῖς γεννωμένοις οὐκ ἐν νυκτὶ μόνον ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν τῆς ὥρας ἀκρίβειαν. Ἡράκλειτος ἐντεῦθεν ἀστρολόγον φησὶ τὸν Ὅμηρον, καὶ ἐν οἷς φησι· μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν, οὐ κακὸν οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.

Horum quasi appendicem habes in scholio ad alteros Homeri citatos versus (Il. vi. 488), ubi eadem chorda oberrat interpres:— *φαίνεται καὶ τὴν μαθηματικὴν πρῶτος εἰδὼς Ὅμηρος, ἐν οἷς τὴν ἐπὶ γενέσεως ὥραν περιέχειν τὰ ἀποτελέσματα λέγει*[7]. Unde satis patet scriptorem a scholiasta excerptum, quisquis fuit, *ἀστρολόγον* vocem sensu recentiore usurpasse, mathematicas artes novisse, Homerum mathematicum velle laudare—quae omnia a saeculo[8] et indole abhorrent, si quid video, Heracliti nostri. Verum ut est a nostro aliena ista Homeri laudatio ita optime in grammaticum quadrat Cratetis

[6] Rem agnoverunt plurimi, e.g. Hieronymus Mercurialis V. L. iv. 14, Casaubonus ad Diog. Laert. viii. 61, Fabricius Bibl. Graec. t. i. p. 194 n. *g* ed. Harl., Bastius ad Gregor. Corinth. p. 881, E. Deswert de Heraclide Pontico p. 81, I. E. G. Roulez de Vita et scriptis Heraclidae Pontici passim, A. B. Krische Forschungen t. i. p. 327, Bernaysius Heraclit. part. i. p. 27. Unde fit ut et fr. XV. Herodoteum esse crediderint multi (quos inter Wesselingius Diss. Herodot. c. 3, ac C. F. Hermann ad Lucian. Quomodo hist. conscrib. p. 184); et fr. LXX. allegoretae isti Heraclito Mehler (ad Alleg. Homeric. p. ix et p. 101) addixerit: errorem Mehleri satis me iudice Ionismus in *ξυνόν* servatus refellit.

[7] Conf. Schol. Ven. (A) ad Il. i. 606 : *πρῶτος δὲ Ὅμηρος ἀφορμὴν ἔδωκε τοῖς ἀπὸ τῶν μαθημάτων εἰρηκὼς ἕκαστον τῶν θεῶν ἴδιον οἶκον ἔχειν.*

[8] Vid. Lobeck Aglaopham. p. 420.

Digitized by Google